

*De pace inter Faventinos [a] et Imolenses atque Bononienses, exclusis Ravennatibus.*

## CAP. XXXIV.

Anno a nativitate Domini MCXXXVII<sup>d</sup> videntes Faventini et Imolenses quod a tam inhumanis [b] civitatibus se non possent tueri commodè [c], exclusis Ravennatibus, cum Bononiensibus pacem fecerunt; ita, scilicet, quod Faventini et Bononienses civitatem et comitatum Imolae haberent communiter [d], et Ecclesia [e] Bononiensis duo pallia, sicut et Faventina [f].

*De destructione castri Pergolae [A].*

## CAP. XXXV.

Anno ab incarnatione Domini MCXXXVII<sup>d</sup> in februario, dum resideret rex Lotharius (54) in comitatu Imolae cum regina Regentia [g] et exercitu suo, ibant enim Romam homines castri Pergolae, nulla praecedente offensa, quosdam magnos viros de exercitu occidere non timuerunt; quare rex praedictus una cum Faventinis nominatum destruxerunt castrum.

[a] *De pace inter Faventinos etc.* Sic totus titulus est in C. M.; licet ab aliis aliter referatur. — [b] *a tam inhumanis.* Sic legundum puto notulas a *ta inanis*, quae sunt in C. M. Cl. Mitt. eas vertit antea in *antis civitatibus*. C. vero V. habet a *tam immanibus*. — [c] *tueri commodè*, C. V. In C. M., *quomode*. — [d] *haberent communiter*. Sic lego, sequutus C. V.; licet C. M. habeat *deberent*. — [e] *et Ecclesia*. Coniunctio *et*, cum desit in C. M., addita est ex C. V., ut necessaria ad sensum recte exprimendum; nam subintelligitur *haberet*. — [f] *sicut et Faventina*, C. M. Subintelligitur *habebat*. Legendo itaque, pro *deberent*, cum C. V., *haberent*, et addendo coniunctionem *et*, id obtinetur, ut nempe sensus rite se habeat. Alias oporteret supplere textum, ut advertit Cl. Mitt., sic: *deberent dividere communiter, et dare Imolenses Ecclesiae Bononiensi duo pallia, sicut et Faventinae*. Sed huic lectioni obstaret tamen, quod Imolenses jam pridem Faventinae Ecclesiae promiserunt et dabant quovis anno dicta duo pallia; quapropter non erat hic repetendum, nisi ut de re jam conclusa, quemadmodum in Tolosani textu per nos restituto asseritur. In C. V. lectio rectius expleta est; nam sic ibidem se habet: *quod Faventini et Bononienses civitatem et comitatum Imolae haberent communiter, et Ecclesiae Bononiensi duo pallia, sicut et Faventinae, Imolenses deberent*. — [g] *regina Regentia*. Sic lego C. M. In C. V. est *regina Regia*. Alii legunt *regina Regina*. Sed manifeste in C. M. apparet ut in textu, et revera *Regentia* illi nomen erat imperatrici.

[A] Pergola erat tunc castrum, nunc ecclesia ruralis cum hospitio PP. Praedicatorum, Faventia. Locus ad meridiem est, quatuor hinc milliariis. Greg. Zucculus tribus tantum distare ait milliariis.